

DEO OPT. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-quartâ mensis Martii Anno Domini M. DCC. LXVII.

M. JOANNE MAC-MAHON,
Antiquo Exercituum Regis & Nosocomiorum Militarium Medico, Regiæ Scholæ Militaris Medico ordinario, Doctore Medico, Præside.

An in lecto undique clauso dormire noxium?

I.



URA & ineluctabili necessitate ad laborem natus homo, membra sudoribus & vigiliis exhausta quieti committere & sopori tenetur. Hoc unicum malorum illius solatium; quo sublato, nec vires resarcire, nec labores novos suscipere valebit. Frustra reluctari conaretur; sunt sua naturæ jura quibus fraudatam se nunquam sinit. Illâ lege coacti, nondumque mala undique circumstantia providentes primi

noſtri parentes, humi ſtratis membris & ſub dio decumbebant. Nulla hora, nullus locus ſomnum jubebat, hancque ſolam operum metam agnoſcebant, cum nempè laborem feſſa membra recuſarent, ultroque Terram peterent elanguida, hæcque terræ pars, illis erat eâ nocte ſomni ſanctuarium. Tandem propriâ experientiâ edocti, damnoque ſuo prudentes facti, cubicula adſtruere cæperunt varioſque lectos fabricare, quibus ab aëris intemperie terræque noxio madore vindicarentur. Hi primi lecti unico neceſſitatis ſtimulo fabrefacti, ſolique dicati ſomno, mollitiem, varioſque inde ſoboleſcentes morbos fovere non poterant. Sed brevi voluptas ut morum ſic & ſanitatis populatrix, ſalubrem hanc duritiem exuere nos coegit, ſtrataque ſuper ſtrata plumularum ingerendo, inutilem quin & noxium nobis obtulit ſomnum; quo corpus, effætum nulloque vigore reſarcitum à ſomno ad quietem ſurgit. Et utinam hæc ſola eſſent voluptatis inventa! Quid autem in generis humani perniciem non machinatur hoſtis ille eo magis timendus quo jucundiorem nobis offert ruinam. Velaminibus undequaquè, ſpecioſo aërem frigidum arcendi, ſomnumque profundiorem invitandi, conſilio, hi lecti obducuntur, quorum ope reverâ aëris interni cum externo commercium intercipitur. Quâ peſſimâ methodo, nedum morbi arceantur, infinita emergere incommoda contendimus nobiſque probandum incumbit.

II.

VITAM duo ſtatus phyſici ſibique invicem oppoſiti dividunt, vigilia nempe & ſomnus. In utroque vero ſtatu, licet ſomnum mortis imaginem quidam prædicent, itidem vivit homo, exceptiſque functionibus quæ ab animâ & voluntate pendent omnes ſere alias, quæ vitales naturaleſque dicuntur, exercet per ſomnum, fortaſſe & felicius quam dum vigilat. Harum functionum denominatio ſola illarum importat ſecum utilitatem & momentum, quibus ſcilicet deficientibus, aut ſubito, aut brevi ſaltem tempore machina corruit. Hæ functiones ſunt Reſpiratio, Circulatio, Digeſtio, & aliæ quædam, quibus ſublatis, licet ad vitam actualem non ſint abſolute neceſſariæ, ſubito tamen ſanitas deficit; nutritio nempe & perſpiratio inſenſilis, à cujus præſertim functionis læſione quot incommoda ſcaturiant vix credibile. Igitur probè exerceantur omnes illæ functiones maximi eſt momenti. Ut autem 1°. perfecta ſit reſpiratio, à quâ circulatio ita pendet, ut unâ ceſſante ceſſet & altera, aër debet eſſe paucioribus quam fieri poteſt particulis tum vapidis tum exhalatis onuſtus, ea ſcilicet ratione ut ſuum ſervet elaterium, quæ virtus abſolute requiritur in aëre ut pulmones ab illo diſtendantur, ſanguis vaſa pulmonalia ſubeat, in illis conquaſſetur, elaboretur, in minores globulos diſcerpatur, ſicque circulationi, nutritioni, variiſque aptus evadat ſecretionibus. 2°. Ut fiat perſpiratio intra ſomnum adæquata, æqualis ac moderata eſſe debet circulatio quæ tota ut jam diximus à reſpiratione pendet. Oportet præterea ut pori cutis liberi & patentes excretioni cutaneæ faveant. Hæc autem omnia ut corpus ſanum & vegetum ſic & aërem quantum fieri poteſt ſerenum requirunt.

I I I.

JAM vero in lecto undique clauso, brevi vaporibus tum ex pectore tum ex poris cutis continuo exhalantibus, aër contentus, cessante illius cum externo communicatione, coinquinatur, suumque amittit elaterium. Elasticitas enim aëris est illa proprietas quâ condensari & expandi valet, ideoque reactionem actioni habere æqualem. Ut autem aër innatam hanc sibi servet proprietatem, necesse est ut continuo & æquali nisu in se invicem ferantur spirulæ aëreæ, eodemque nisu in se ipsas resiliant hoc perpetuo motu perpetuo renovatur elasticitas, aëre elastico facile distenduntur vasa aërea pulmonum, sicque perfecta evadit & sincera rispiratio. Si vero imminuatur aëris calore jam nimium rarefacti quantitas, nec exitus detur moleculis tum expectore tum exporis cutis exhalantibus, ut fit in lecto undique clauso, tunc moleculæ illæ spirulis aëreis interpositæ illarum in se invicem impulsum minuunt; cum autem nulla sit sine actione reactio, utraque delebitur proprietas nullaque proinde erit elasticitas aut saltem paucissima, unde aër ille virtute suâ orbatus, vehiculumque moleculárum exhalatarum, factus, pulmones nisi magno cum nisu dormientis distendere non valebit. In nisibus autem illis sæpè etiam frustrà tentatis quomodo se habeat circulatio facilè concipitur. Vasa nempè sanguinea pulmonum à vasorum aëreorum collapsu compressa, nullum aut difficillimum sanguini ingressum offerunt. Oportet igitur ut sanguis qui totam pulmonum substantiam permeare debet iter ipse sibi aperiat impetuque suo totius illius massæ resistentiam superet, quod nec subito nec nisi magno cum molimine effici potest. Undè per sæpè cordis palpitationes à nimiâ sanguinis in ventriculis ingurgitatione & remorâ, hinc aliquoties etiam vasorum capillarium disruptio sanguineaque expuitio. Sed cedo illa non eveniant incommoda, non ideo melius se res habebunt. Quomodo enim in vasis sic undique pressis conquassari & elaborari poterit sanguis? Quod nam ab aëre sic corrupto elaterium accipiet? Igitur effætus ut antea, nullique nutritioni nec secretioni aptus ad cor revertetur. Præterea aër ille materiam excernendam quin & excretam, rursus tum per poros cutis absorbentes, tum per vasa aerea pulmonum humoribus nostris immiscendo, pravis digestionibus procreandis, variisque fovendis morbis putridis est aptissimus; nihil enim e corpore excernitur in statu naturali quod non sit illi nocivum.

I V.

AD illam autem humoris nocivi excretionem, cui tempus nullum commodius quam somnum placidum affirmat sanctorius cujusque necessitas, ab immensâ illius emissione patet, multum facere aëris conditionem ex duplici ratione constat. 1°. Quia perspiratio à circulatione pendet. 2°. Quia illius excretionis emunctorium universale est cutis. Igitur pro vario sanguinis motu, pro variâ cutis dispositione varia exurget illa functio. Sed 1°. ex probationibus superioris paragraphi aër inclusus numquamque renovatus circulationi maxime noxius est, ergo ex iisdem rationibus & perspirationi nocere debet. 2°. In lecto undique clauso vapores è pectore & ex cutis poris exhalati spirulis aëreis ut jam dictum fuit interponuntur. Cum autem moleculæ illæ, aëre, aliunde ca-

lore jam rarefacto multo sint ponderosiores necessario in dormientis sinum relabi tenentur, parsque earum tenuissima per poros cutis intus resorbetur, pars vero crassior, cum illa vasa exigua subire non valeat toti corporis superficiei adhæret brevique tempore exsiccatur; ex illâ autem exsiccatione obstructio necessaria nascitur in poris excernentibus cutis, aliunde propter circulationis vitium obicem hunc superare non potest fluidum perspirabile; igitur omnimode intercipitur perspiratio. Quot autem morbi ex illâ suppressione exurgant, nimiâ eheu! experientiâ docemur. Vix enim aliam agnoverint causam lassitudines in artubus, capitis gravitates, digestiones laboriosæ & infinita hujusce modi incommoda quæ omnia ex improbâ illâ quam impugnare conamur methodo emergere quotidie videmus,

V.

SED jam à mulierculis hominibusque delicatulis objectiones moventur. Calor inquiunt necessarius est ut placidus & utilis sit somnus. Aer frigidus cautissime à corpore non vestito & dormiente arcendus est. Aëris externi intromissio oculos fluxionibus afficit membraque rheumatismis cruciat. Invicta ne igitur hæc argumenta putatis? Eâdem utinam facilitate ac vestræ objectiones evertatur vestrum systema! 1°. Quidem duas primas objectiones una solvet responsio. Vobiscum calorem necessarium per somnum, aëremque frigidum à corpore non vestito & dormiente arcendum fatemur, sed modus est in rebus. Calor ille nimius aërem suis spolians virtutibus, nedum utilis sit e contra perniciosus & exitialis evadet, Igitur calore moderato utatur dormiens non vero seipsum obruat: nullæ ergo adversus nostram sententiam illæ duæ objectiones, sed tertia nobis superest eruenda. Certum est enim aërem frigidum oculorum fluxiones & rheumatismos procreare. Sed certum est etiam illa evenire incommoda quia aëri externo nimia permittitur introductio, certum est etiam fluxiones & rheumatismos non tam ab aëre in conclavi incluso quam ab aëre per fenestram imperfecte clausam aut per foramen quodcumque irruente oriri, aut etiam à parietibus cubiculi madidis quæ omnia certe non proponimus. Igitur alta sit lecti umbella ut major in illius capacitatem penetret aëris quantitas. Collocetur lectus in ampliori conclavi aliunde clauso, sed quædam semper ad pedes aut ad latera lecti servetur apertura quâ cum externo aëre communicare possit aër internus sicque semper renovari, alioquin suppra memorata irruent incommoda quorum enumeratio & pericula ad conclusionem nos ducunt.

Ergò in lecto undique clauso dormire noxium.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-HENRICUS BOURDELIN, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus. Theseos Auctor. A. R. S. H. 1767. A sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 1767.